



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. XI. Discere res sensu non perceptibles, nihil esse aliud, quam ea,  
quæ in memoria indisposita & abstrusa erant, cogitando quasi colligere, &  
ordinare.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**

me interroges. Tactus dicit: si corpulentum non est, non contrectavi : si non contrectavi, non indicavi. Vide, unde, & qua hæc intraverunt in memoriam meam? Nescio quomodo ; nam cum ea didici, non credidi alieno cordi, sed in meo recognovi, & vera esse approbavi : & commendavi ei tanquam reponens, unde proferrem, cum vellem. Ibi ergo erant, & antequam ea didicissem, sed in memoria non erant. Vbi ergo ? aut quare cum dicerentur, agnovi, & dixi : Ita est, & verum est, nisi quia jam erant in memoria, sed tam remota & retrusa, quasi in caveis abditioribus: ut nisi admonente aliquo eruerentur, ea fortasse cogitare non possem ?

## N O T A E.

Doctrinas, cum sub nullam cadant sensum, ante in animo latuisse concludit, quia vero obruuntur aliarum rerum cogitationibus & imaginibus, egere aliquo monitore, ut eruantur, sive in actum prodeant.

## C A P. XI.

*Discere res sensu non perceptibiles, nihil esse aliud, quam ea, quæ in memoria indisposita & abstrusa erant, cogitando quasi colligere, & ordinare.*

I. **Q**uocirca invenimus, nihil esse aliud discere ista, quorum non per sensus haurimus imagines, sed sine imaginibus, sicuti sunt, per seipsa intus cernimus : nisi ea, quæ passim atque indisposite memoria continebat, cogitando quasi colligere, atque animadvertendo curare, ut tanquam ad manum

num posita in ipsa memoria, ubi sparsa prius & neglecta latitabant, jam familiari intentioni facile occurrant.

2. Et quam multa hujusmodi gestat memoria mea, quæ jam inventa sunt, & sicut dixi, quasi ad manum posita, quæ didicisse & nosse dicimur! Quæ si modestis temporum intervallis recolere desivero, ita rursus demerguntur, & quasi in remotiora penetralia dilabuntur, ut denuo velut nova excogitanda sint in idem iterum. Neque enim est alia regio eorum, & cogenda rursus, ut sciri possint: id est, velut ex quadam dispersione colligenda, unde dictum est cogitare. Nam cogo & cogito, sic est, ut ago & actito, facio & factito. Veruntamen, sibi animus hoc verbum proprie vendicavit, ut non quod alibi, sed b<sup>a</sup> quod in animo colligitur, id est cogitur, cogitari proprie jam dicatur.

## N O T Æ.

- a Per seipsa intus cernimus ) sensit S. D. nos res immateriales per seiphas cognoscere conceptu proprio & intuitivo, non minus quam sensibiles. Mens ergo ipsa inquit alibi, sicut corporearum lib. 9. de rerum notitiis per sensus corporis colligit, sic incorporea Tri. c. 3. rum per semetipsam.
- b Quod in animo colligitur ) elegans verbi cogitare etymologia, & sane congua, omnis enim cogitatio in quadam conceptuum collectione consistit, ut judicare & ratiocinari possimus. Simplici apprehensioni sive conceptui nomen cogitationis minus recte congruit.

## C A P.